

turres (ut supra iam dictum est)¹⁾ in suum^{d)} ius transtulerant, ad easdem certatim convolarent mobilem ferentes^{e)} supellectilem ad altitudinem atque munitionem ut sperabant igni inaccessibilem sive impenetrabilem, repente advolantes scintillę et super stramen, quo tegebatur opus iam dictum, demisse in ingentem flammam eruperunt; quę videlicet flamma multo efficacior quam bellica quęlibet machina turrim, quę proxima stabat, per sublimes fenestras tenuesque rimas ingressa et deinde in aliam tertiamque perneciter prosiliens totum denique castellum et quicquid in turribus ligneum^{f)} erat sibi in pabulum concessum corripiens horribile cunctis fecit spectaculum, ita ut totum hoc non solum circumdaret, verum etiam cooperiret monasterium.

19 Ad te igitur facta conversio nostra firmetur, o beate Laurenti, et tu sis, qui respondeas²⁾ vocantibus nobis iuxta presagium memorandi oromatis^{a)}, quo mihi osculum dare visus es^{b)} in conspectu domini Iesu Christi regis ęterni quasi iam venientis cum nubibus³⁾, ut videret eum omnis oculus et cum eo sanctorum milia^{c)}, quos inter tu^{d)} igneus et quasi serenus, ignis vultu pariter et vestitu rutilans apparebas. Qui cum venerit, nonne examinabitur mundus secundum similitudinem huius incendii, quod enarravi, maxime quia de medio tantę conflagrationis, de exęstuatione tam ingentis camini salvum et incolume dominicum corpus emicuit?⁴⁾ Aut numquid huic rei, quę nobis accidit, tam magnum quod futurum est iudicium inepte assimilari^{e)} dicimus? Minoribus utique rebus auctore Domino idem iudicium sive regnum celorum assimilatur^{f)}; denique assimilatur triticeę messioni⁵⁾, assimilatur sagine sive retiaculo piscatoris⁶⁾, assimilatur modico fermento in tribus farine satis⁷⁾, assimilatur etiam grano sinapis⁸⁾. Quo istorum sive his similium minus extitit huiusce iudicium incendii, ut non debeamus per eius similitudinem existimare nos esse commonitos de ira ventura, id est igne universalis iudicii, presertim ubi tam multipliciter operata est presentia seu providentia iudicis eiusdem, qui tunc omnia simul iudicabit. Etenim sicut illud magnum et extremum quatuor partibus agitabitur iudicium — pars quippe una erit eorum, qui iudicabuntur et per iudicium

d) unum *M* e) ferentem *M* f) lignium *A*, lignum *M*

19 a) aromatis *M* (= ὁράματος, visionis) b) est *M* c) millia *M* d) ut *M* e) assimilari *M* *Vulg.* (stets) f) assimilatur *JM*

¹⁾ c. 9 ²⁾ Vgl. *Iob* 5, 1 ³⁾ Vgl. *Matth.* 24, 30; 26, 64; *Marc.* 13, 26; 14, 62 ⁴⁾ s. o. c. 5 ⁵⁾ *Matth.* 13, 24 ff.; *Marc.* 4, 26 ff. ⁶⁾ *Matth.* 13, 47 ⁷⁾ *Luc.* 13, 21 ⁸⁾ *Matth.* 13, 31; *Marc.* 4, 31; *Luc.* 13, 19